Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars II.

Wien, 1800 Seite 1303

Quelle:
Copyright:

inchoet: *Ueritatis theoloice ſublimitas, cum ſuperni ſit ſplendoris radiis* &c. Adi *Vol.* I. Indicem. Ad calcem legitur: *Explicit liber Compendium theoloyce veritatis ſub Anno domini Milleſimo. CCCC. quarto. Amen dicant omnia.*

II. *fol.* 89. nitidiore calamo *Commentaria in* totum *Matthaei Evangelium* ſequuntur, quibus paullo recentior manus ſuperſcripſit: *Auguſtinus de Anchona ſacre theologie doctor ſuper matheum. qui quidem cum ultra omnes ſue etatis theologos ſine contradictione exceſſerit. a Matheo exordiens totum nouum teſtamentum accuratiſſime declarauit.* Obiit *Auguſtinus Triumphus Anconit.* Ord. Erem. S. *Aug.* anno 1328. ut docet ejus Epitaphium *Neapoli* in Suorum Eccleſia, in quo 36. *volumina Librorum* ſcripſiſſe perhibetur. Enumerant illa *Oudinus*, *Fabricius*, *Lelongius* et omnium inſtar *Oſſingerus* in *Biblioth. Auguſtin.* Aſt ubi hic de Opere in *Matthaeum* memorat, hoc ei ſtatuit initium: *Cum enim quietum ſilentium tenerent omnia* &c. Cum igitur Codex noſter continuo a C. I. ſic ordiatur: *Liber generacionis ihesu chriſti: Hic poſſunt eſſe quinque dubitaciones. Prima vtrum iſte liber beati Matbei debeat dici liber ewangelij ihesu chriſti, vel liber ihesu chriſti. Secunda. Vtrum caro aſſumpta a dei filio per generacionem temporalem fuerit ex ſemine ade. Tercia* &c. probabile eſt, *Oſſingero* rem eſſe de *Prologo*, ſeu *Prooemio* quodam, quo Codex hic careat. Placet ceterum methodus Operis, quod rectius *Dubitationes* ſeu *Quaeſtiones in Matthaeum* inſcribas; omnium enim Capitum hic eſt ingreſſus: *Hic poſſunt eſſe quatuor, quinque, ſex* &c. *dubitaciones* Hinc etiam ad calcem Rubrica eſt: *Incipit Tabula queſtionum ſuper ewangelium Matbei.* Eas, ut multa alia Noſtri, typis nunquam excuſas fuiſſe putem; extare vero in *Vaticana* omnia ejus Opera Civium *Anconitanorum* ſumtibus ex archetypis deſcripta in magnis et pulcherrimis voluminibus lego apud *Oudinum* T. III. *col.* 600.

DLXXXI.

Codex chartaceus lat. Sec. XVII. H. 10 diviſus in Tomos II. 8. *Theologia* Scholaſtica eſt ad *Summam Thomae Aquin.* exacta, cujus T. I. continentur Tractatus de Deo, de Angelis, de Actibus humanis, de Gratia; T. vero II. de Virtutibus theologicis, de Juſtitia et Jure, de Incarnatione, de Sacramentis. Cur porro Poſſeſſor ejus Ill. *Hohendorfius* locum ei olim inter Codices ſuos *mſs.* tribuerit, portentoſa ejus Scriptura unice in cauſſa eſſe videtur, quae *Iliadem in nuce* aemulatur, nec absque vitri convexi ope legi poteſt, ut adeo Scriptorem et lyncis viſu, et *Origenis* patientia praeditum fuiſſe oporteat. His adde modeſtiam, qua et ſuum et Autoris nomen reticuit.

DLXXXII.